



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LIV. S. Hormisda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

* *limin. Eccle erit reformare à * liminibus eiusdem loci prius arceatur. Debet esse tamen
sua ab Episco- prouisio, ut vindictam admonitio manifesta precedat, & res usurpatas iniu-
po eiusa. ste qui abstulit, aut iniuste ablatas retinet, equitate patrocinante legibus resti-
tuat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, demum pradonem sacerdo-
talis districtio maturata percussat. I T E M inferius. Valde iniquum & ingens
sacrilegium est, ut quacunq; vel pro remedio peccatorum, vel salute aut requie
animarum suarum unusquisq; venerabili Ecclesie contulerit, aut certe relique-
rit ab his, quibus hæc maximè seruari conuenit, id est, Christianis, & Deum ti-
mentibus hominibus, & super omnia à Principibus, & primis regionum, in a-
liud transferri vel conuerti. Propterea, qui hæc non prouiderit, & aliter, quam
scriptum est prædica Ecclesiis tradita petierit, vel acceperit, vel possederit, vel in-
iuste defenderit, aut retinuerit, nisi se citò correxerit, quo iratus DEVS animas
perculit anathemate feriatur, sitq; accipienti, & danti,* vel possidenti anathe-
ma. I T E M inferius. Generaliter verò, quicunq; res Ecclesie confiscare aut
competere, aut peruadere periculosa, aut sua infestatione præsumpserit, nisi se
citissimè per Ecclesie, de qua agitur, satisfactionem correxerit, perpetuo ana-
themate feriatur. Similiter & hi, qui res Ecclesie iussu vel largitione Princi-
pum, vel quorundam potentum, aut quadam inuasionem, aut tyrannica potesta-
te retinuerint, & filiis vel heredibus suis hereditarias reliquerint, nisi citò res
DEI, à Pontifice admoniti, agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate fe-
riantur. Ferro enim abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt.
I T E M inferius. Omne quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia.
Non licet ergò Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra
mandata diuina præsumere, nec quicquam, quod Euangelicis, propheticisq; &
Apostolicis regulis obuiat, agere. Iniustum enim iudiciū, & diffinitio iniusta re-
gio metu vel iussu à iudicibus ordinata non valet, nec quicquam, q; contra Eu-
angelicam, vel propheticam, aut Apostolicam doctrinam constitutionemue eo-
rum siue Sanctorum Patrum actum fuerit, stabit, & quod ab infidelibus, aut
hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.*

LIV.

S. HORMISDA.

A. ccccc-
xiiii.

O R M I S D A, natione Campanus, ex patre Iusto, sedit annos 9.
dies 14. Fuit autem temporibus regis Theodorici & Anastasij
Augusti à Consulatu Senatoris, vsque ad Consulatum Symmachi
& Boetii. Hic ordinauit Episcopos 55. presbyteros 21. Obiit autem
Catholicæ fidei defensor 8. Idus Augusti. Hic consensu & consilio
regis Theodorici legatos suos direxit in Græciam, dans illis man-
datum, ut Græcos, propter Petrum Alexandrinum & Achatium
Constan-

Constantinopolitanum, quibus participauerunt, anathematis vinculo obligatos sub satisfactione absoluerent. Sed nihil egerunt, quia Anastasius Augustus libello rectæ fidei consentire noluit, eo quod & ipse Eutychianus erat. Itaque Romanos legatos ad fidem suam errorem inclinare desiderans muneribus oblati eos corrumpere nitentur. Illi autem contemptis muneribus de hæreticorum participatione Romanæ sedis satisfactionem debere fieri insistebant. Unde Imperator furore accensus eosdem per posterulam eiecit, & periculosa nauis impositos remisit, præcipiens ut nullam ciuitatem ingrederentur, ne fidei epistolas saltem in transitu Catholicis ostendere possent. Sed quia eas per omnes ciuitates expositas à complicibus suis postea comperit, commotus in ipsum Romanum Pontificem fertur ei scripsisse, ita inter cætera dicens. Iubere nos volumus, non nobis iuberi. Sed eodem tempore diuinitus fulmine percussus interiit. Sumpsit autem post illum imperium IUSTINVS orthodoxus, quo adiuuante postmodum Græci penitentia de errore Achatii suscepta ad sedis Apostolicæ communionem redierunt. Hic clerum constituit, & psalmis erudiuit.

Hic in epistola^a, quam vniuersis Hispaniæ Episcopis destinavit, ut in Episcopis ordinandis cura adhibenda sit perspicua euidenter ostendit dicens. *Irreprehensibiles esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis, nec quicquam illi deesse personæ, penes quam est * religiosa * religionis est summa & substantia disciplina. Existimet unusquisque, pretium dominici gregis, ut sciat, quod meritum constituendi debeat esse pastoris. Item. Longa debet vitæ suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Item. Emendatiorem conuenit esse populo, quem necesse est orare pro populo. Item prohibet, ne beneficium per impositionem manus, quæ * Do * diuina esse* *Act. 8.* *domini esse creditur, pretio comparetur, quia ante oculos esse conuenit, qua Simon Magus Spiritum sanctum volens redemptione mercari, Apostoli fuerit detestatione percussus. Item de illo, qui non vendit, sed vendenti consentit, ita subiungit. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Proculdubio contra mandata committit, & qui habet peccatum proprium, & qui sequitur alienum. In casum resistit * animus* *avidus cupiditati, si non resistit & timori.*

ITEM in alia epistola, quam presbyteris & diaconibus & Archimandritis Cælesyriæ direxit de clericis in adulterio deprehensis, ita dicit. *Ecce manifestissime constat, quæ secundum quod & tituli antiquorum Patrum à S. Ioanne Papa transmissi, & 318. Episcoporum sententia, sed & canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, & aut ipsi confessi, aut ab aliis reuicti, ad honorem redire non possunt. & si qui sunt,*

quibus *supra scripta* Sanctorum Patrum *seueritas* minimè placet, *sciant se eorum sententias reprehendere vel condemnare, cum hoc facere non sit in eis misericordia, sed est ista benignitas iustitiae inimica, videlicet criminosos palpare, & vulnera eorum vsque in diem iudicii incurata seruare. Si autem eos durissimam pœnitentiam per plures annos agere videmus, ipsis & saluti eorum consulere, & canonum statuta debemus seruare. Cum verò in aliquibus nec compunctio, nec humilitas, nec orandi, nec plangendi instantia appareant, possumus agnoscere, si ad honorem pristinum redierint cum quanta negligentia & inimica animæ securitate permaneant, credentes, quod sic eis non acta dignè pœnitentia dimisit DEVS, quomodo sacerdotes indulgisse videtur. Verè dico, quia illi ipsi, quibuscum periculosa & falsa misericordia indulgere videmus cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes, quod dum aut asperitatem linguæ eorum expauimus, aut falsa blandimenta, & periculosas adulationes eorum libenter accepimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus in peccatis permanere, aut ipsa peccata etiam augere permiserimus, non recordantes illud, quod in veteri testamento scriptum est, quia uno peccante contra omnes ira Dei desecuit. De talibus B. Cyprianus Martyr ita dicit. Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec reprimat ille delicta, sed fouet. ITEM idem Papa inferius. Ego me in hoc periculo mittere omninò non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere non præsumam, nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tantos ac tales sacerdotes, qui canones statuerunt, causas dicere possim. ITEM idem subiungit. Si clerici, qui ad uxores proprias redeunt ab officio suspenduntur, & bigami non ordinantur, sed si ordinati fuerint deiiciuntur, quomodo ille, qui adulteriũ commiserit, iterum ad honorem redire poterit? Non tamen misericordiã, quæ dicit, nolo mortem peccatoris, & alia huiusmodi, se negare dicit, sed diffinitissimè credere, quod qui vsq; ad finem vitæ suæ pœnitentiam egerit, non solum indulgentiam accipiet, sed ad vitam æternam perueniet. De illis autem clericis, qui ad uxores redeunt, dicit sanctus Faustus in epistola sua. Perdidit gratiam consecrati, qui adhuc vult officium exercere mariti. ITEM prædictus Papa iterum inferius dicit. Valde metuo & contremisco illam damnationem, quam Heli sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit, qui pro eo, quod filios suos leuiter castigauit, & eos nec cadere, nec excommunicare voluerat, & ipsi filii uno die occisi sunt, & 30. millia de populo interfecta sunt, & arca testamenti in captiuitatem ducta est & ipse retrò cadens fractis ceruicibus mortuus est, & nomen ipsius de libro vitæ deletum est. Et cõtra Phinees Zelo Dei commotus duos adulteros pariter interfecit, & totum populum DEI DEI iracundia liberauit. Nec hoc idè dicit, ut similes supradictis corpo-*

corpo-

corporis mortem mœrere debeant, sed caueant, ne post corporis mortem ad supplicia perueniant.

L V.

S. IOANNES.

A. ccccc-
xxiii.

IOANNES, natione Tuscus, ex patre Constantino, sedit annos 2. menses 8, dies 16. Fuit autem temporibus Theodorici regis, & Iustini Augusti Catholici. Ordinauit autem Episcopos 15. Hic pro religione catholica, & pro Theodorici causa negotii Constantino-
polim venit, vbi Iustino Augusto patrocinate Arrianorum Eccle-
sias Catholicas consecrauit. Hoc audiens Theodoricus, quoniam & ipse erat hæreticus, furore accensus omnem Italiam gladio & i-
gne perdere æstuabat propter Arrianorum Ecclesias, quarum in I-
talia multæ erant, quas etiam Catholicas vsquequaq; consecrari
Ioannes Papa præceperat, & duos viros exules & Catholicos Sym-
machũ & Boetium ante reditum Papæ tenuit & interfecit. Ipsum
autem Pontificem reuersum in custodia Rauennæ detinuit, in qua
duriter afflictus tandem defunctus est 15. Kalend. Ianuarii. Sed no-
nagesimo & octauo die post transitũ prædicti Papæ, & ipse rex here-
ticus diuinitatis fulmine percussus subito morte sua Italiã liberauit.

Hic Zachariæ Episcopo epistolam destinauit, in qua eum, de
quibusdam consultus, instruxit, inter cætera dicens. *De occultis cordis
alieni temerè iudicare iniquum est, & eum cuius opera non videntur nisi bona,
peccatum est ex suspitione reprehendere.* Et addit in eadem, quæ sæpe nu-
mero dicta sunt, videlicet, quòd oues pastorem accusare, nisi pro fi-
de non debeant, & ipse Episcopus, nec vocari aut iudicari potest,
priusquam quæ ablata sint sibi legibus restituantur, & ideò hîc præ-
termittenda existimamus.

L VI.

S. FELIX. IV.

A. ccccc-
xxvi.

FELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos 4.
menses 2, dies 12. Hic iussu Theodorici regis ordinatus est, &
absq; contentione. Hic ordinauit Episcopos 29. presbyteros 55. di-
aconos 4. Obiit autem Idibus Octobris Athalarico regnante. Hic
autem multis Episcopis per diuersas prouincias constitutis rescri-
psit, respondens eisdem de Ecclesiarum consecratione, & de Mis-
sarum celebrationibus ita. *Non alibi, quàm in sacratis Domino locis abs-*
que magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus nota sunt noui

*De cons. d. i. c.
sicut no*

K 4

& veteris